

Johann Christoph Jasmundt von


**Ad Illustrissimos Principes Dn. Adolphum Fridericum & Dn. Johannem Albertum
II. Duces Megapolitanorum ... VI. Kal. Iul. Calpinum venientes, ut inter ipsos
Duces, & equestrem ordinem eius provinciae fides solenni ritu sanciretur, uti fit
principibus primum imperium ingredientibus, Oratio Gratulatoria**

Gryphiswaldiae: Ferberus, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767482301>

Druck Freier  Zugang





1500

MK_1500.
~~MK 1605.~~



A D

Illustrissimos Principes
DN. ADOLPHUM FRIDERICUM,
&
DN. JOHANNEM ALBERTUM II.

Duces Megapolitanorum Principes vetustæ gentis
Henetæ, comites Suerini & Dominos Rostochij & Star-
gardij, Dominos clementissimos suos,

*VI. Kal. Jul. Calpinum venientes, ut inter ipsos Du-
ces, & equestrem ordinem ejus provincia fides solenni ritu sanc-
retur, uti sit principibus primum imperium in-
gredientibus,*

ORATIO GRATULATORIA
auctoritate publica equestris ordinis
Stargardiensis provinciæ

Scripta

JOHANNIS CHRISTOPHORI à Fas-
mundt Equit. Megapolitani.

Psal. 112.

Generatio justorum benedicetur,

GRYPHISWALDIÆ


Ab Augustino Ferbero Jun. excusa Anno 1609.






Cic. lib. 3. de LL.

Ego nobilium vita, victuq; mutato, mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de repub. merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi; sed ea infundunt in civitatem: neq; solum obsunt quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt: plusq; exemplo quam peccato nocent.





Illustrissimi Principes, Domini Clementissimi,

 scripsi hanc orationem arbitrio & voluntate

 majorum nostræ provincie, non solum ob affe-

 ctum, filialem, & obsequium cateris vestri imperij

 provincijs, par & æquale hujus; verum etiam,

 quia domui nostræ, & mihi, singulares causa, a-

 mandandi, reverendi, suspiciendi, & serviendi esse vi-

 dentur: nec eorum quisq; , qui ex æquo & digni-

 tate rem æstimant, facile hoc reprehenderit. Aula

 enim avi vestri, patrem nostrum CHRISTOPHO-

 RUM, è GALLIA redeuntem, ubi HENRICI II.

 christianissimi GALLIÆ REGIS, libertatis

 GERMANORUM propugnatoris, auspicijs, cum

 fratribus à primis annis militaverat, disciplina

 belli assueverat; & quamvis frater major HEN-

 RICUS majoribus, non contemnendis munijs bel-

 licis, præfuerat, suscepit: ULRICUS propatruus

 favit. Pater patriæ Dux noster CAROLUS con-

 sensit; & cum universa MEGAPOLIA, tum

 hæc vestra Stargardiensis provincia, quam extre-

 mum novit, ultimum inhabitavit, honore & a-

 more prosecuta est. Meritò igitur Vestris Celsi-

 tudini-

itudinibus, & nos, & nostra vicissim impendi-
mus, gratum animum, & debitum obsequium præ-
stamus; provincia universa, mutuum studium, of-
ficium & amorem; & quicquid vel ingenio, vel
doctrina, virtute ac viribus possimus, ac posse vi-
deamur, ad perpetuum vestrum cultum, honorem,
gloriam, & ad provincia augmentum, & incolumi-
tatem meritò conferimus. Equidem agnosco,
me dicendo parum esse affectum (præsertim cum
studijs legum, quæ amicorum & propria necessita-
tes, sibi vindicare videntur, indies impediatur) ac
facile ab elegantioribus, & in scribendi vel dicen-
di partibus exercitatoribus, aliarum provinciarum
ingenijs, superatum iri; Sed mihi sufficit nostræ pro-
vincia, nostrumque affectum, caritatem, gratifican-
di & perpetuo obsequendi animum, vel quale-
cunque modo ostendisse. Valete & salubriter
diu regnate. Dab. Cammini VI. Kal. Jul.
CIO. DCIX.

Vest. Illust.
Celsitudinum

Obsequentissimus
& devotissimus

Johannes Christophorus à Fasmunde
Eq. Megapolitanus.




Ad

Illustrissimos Principes

DN. ADOLPHUM FRIDERICUM &
DN. JOHANNEM ALBERTUM,
Fratres, Duces Megapolitanorum, &c.

*Oratio Gratulatoria Equestris ordinis Star-
gardiensis provinciae.*



UM HODIE HUIUS
vestrae provinciae ordine e-
questri, per literas convocato,
more & consuetudine patria,
non sine magnificentia &
splendore, vestraeque benevo-
lentiae, & clementiae, summa apud omnes, &
singulos excitata spe, in consueto loco, pago
nempè hoc nomine satis claro Calpino, sub dio
apparuitis, eandem omnium læticiam, exulta-
tionem, gratulationem, & gaudium, quod in re-
liquis vestris, rei Megapolitanæ æquè studio-
sissimis, & deditissimis provincijs faciliè ani-
madvertistis. Eandem enim obædientiam, idè
studium, facultatum corporumque nostrorum

A 3

oppo-

oppositionem vobis deberi, firmum est. Quia enim toti provinciæ cognitum, & perspectum, Celsissimi Principes, in vestra salute, omnium nostram contineri, nec liberos, famam, fortunas omnium, posse esse salvas, nisi vobis salvis & incolumibus: in D. JOHANNIS patris vestri Principis opt: Patris patriæ, cujus memoria nunc in benedictione est, obitu, non major conspectus, quocunq; ventum, & publicè, & privatim, omnium luctus, quam nunc vobis ex demortuo ferme familiæ vestræ gloriosissima corpore tanquam è stirpe in justam magnitudinem, renascentibus, & resurgentibus frondibus, & nominis vestri splendore, tanquam orientis solis radijs, provinciam illustrantibus, maxima omnium læticia est. Quæ enim præstabiliora, & gratiora Dei Opt. Max. munera, quam justis, castis, sanctis & Dijs simillimi principes? Ac si adhuc dubium esset, forte casuq; rectores terris, an aliquo numine darentur, nobis dubium esse non potest, Provinciales, optimam hanc illustrissimorum nostrorum Principum familiam, à multis sæculis florentem, & in Arctoo hoc orbe, longè lateq; cum gloria, sive pace, sive bello dominatam, non nisi divi-

no lu-

no numine esse conservatam, salutaressq; Prin-
cipes extitisse: Ideoq; nos dignos huic mune-
ri, gratosq; praestemus ut porro per orientes,
& praesentes hos nostros Principes, Divina per-
mittente gratia, conservari possit; Quocunq;
enim circumferimus oculos, aures, animosq;
in omnes totius imperij provincias, nullos po-
pulos, nullas gentes, rectiori & moderatori,
imperio, quocunq; modo etiam quandoq; (ut
sunt humana omnia imperfecta & multis ob-
noxia virijs) a sua perfectione discesserit, usas
fuisse constar. Possem hic longa serie referre,
& ab antiqua memoria repeteres HENETO-
RUM Ducum ac Principum pace belloq; praec-
clare gestas. Possem referre multas a vicinis
hostibus, Ducum auspicio, obtentas STAR-
GARDIENSIVM victorias: Possem omnia in
patriam principum publicè, privatimq; collata
merita ingentia referre; Religionem & pieta-
tem in Deum, justitiam in imperio, in civita-
tum, templorum, monasteriorum & aliorum o-
perum extruètionem magnificentiam, benigni-
tatem, & benevolentiam in suos, fortitudinem
in hostes, prudentiam singularem in omnibus.
Sed angustia temporis, patientia vestra, & o-
mnium,

mnium, ad hoc munus explicandum, concessa :
imò materia ipsa, quæ properantem sequitur, id
ferre posse non videtur. Modus statuendus est
Principes, cum passim hæc talia rectius, ex mo-
numentis historiarum publicis, quibus heroum
nostrorum memoria consecrata, petierimus, ne
vestra patientia, & moderatione, abuti videamur.
Confert autem à MAGNO TERTIO
Celsitudinum vestrarum, ab avo, cujus tempore
hæc provincia tanq; lacinia, solido Megapoliæ
corpori, mortuo ULRICO ultimo Stargardensium
Duce, iterùm accessisse refertur : ut
sic ab infinita antecessorum Regum VANDALIE
& AFRICÆ gloria, ab expeditionibus,
in HISPANIAM, AFRICAM, ITALIAM regredientes,
in certos hos, quibus nos circumduximus
cancellos, sponte concludere patiamur. Hi enim
nullam aliam ad immortalitatem esse viam
putarunt, quam exercitus ducere, aliena vastare,
urbes delere, liberos populos aut trucidare,
aut subijcere : qua inanis gloriæ specie, poster-
i religiosiores, & sapientiores minus capti,
ac ab omni ambitione, & regnandi cupiditate,
alieniores fuerunt. Quanta enim MAGNI
TERTII extiterit, quamq; magna laus, cui igno-
rum, non

tum, non auditum, lectum, aut perspectum? Omnibus quippè constat, qua pietate, & quam pertinaciter, multis tenebrarum involucris (è quibus in hoc ultimo mundi & effæto senio reformata, & repurgata religione Dei beneficio, præstantissimi & Zelo quodam divino acti D. LUTHERI opera, emerſimus) obductam coluerit religionem. Præstat enim aliquam colere, quàm nullam. Constat item, qua prudentia, & justicia, quanta clementiæ fama re- pub. hanc nostram administrarit; quam conjunctè cum vicinis regibus & principibus vixerit, nullum metuens, nulli metuendus: quantum, quam magnus & fortis in hostes, & aduersarios, pacis publicæ violatores animus: quibus artibus regijs in id decoris, hæc nostra provincia, & universa MEGAPOLIA, in quâ tunc sine cupiditate, & luxuria innocenter & simpliciter vivebatur, & cuiq; sua satis placebant; in id inquam decoris pervenerit, ut nulli perhibeatur fuisse secunda. Boni quod imitarentur, malorum verò turba, cujus nunquam mundus fuit, aut futurus est expers, quod expavescerent, habebant: nec tam principem legum observantissimum, quàm leges metuebant & visi sunt omnes

B

mines

mnes eo mortuo, dulcissimum & sui amantissimum parentem amisisse, cuius cura & sollicitudine, ad magnū imperium educarētur. Sed ad successores ejus, virtute & præclararum actionū gloria non inferiores, in multis etiam superiores, mea properat oratio. Quamvis enim multum apud nos valere debeat, & semper & in perpetuum, senex principum nostrorum de repub. meritorum memōria, & jam antè multa sæcula mortuorum: attamen singulari Dei favore, & in provinciam nostrā benignitate, successores ejusdem animi & ingenij fuere, posteris suis, quod magnus Pompejus fecit, amplitudinem nominis, quam non acceperint, tradere; & stirpis laudem (quod sermone hominum ad memoriam prodendam, patrum virtus celebretur) cupidissimè persequēdam esse duxerunt. Astipulati autem sunt hoc suo consilio, beatissimi & gloriosissimi Principes, Plutarcho in comparatione *LYSANDRI*, & *SYLLÆ*. Quemadmodum enim inquit, venator non canis prolem, sed canem; & equitandi studiosus, non equi fœrum, sed equum quærit: Ita administrandæ civitatis curiosus, erravit omninò, si civitatis principem, non quis, sed à quo sit investigaverit. Igitur *HEINRICUS* & *ALBERTUS*
fratres,

fratres, communiter repub. suscepta, ita se in
ejus administratione gesserunt, ut ille pacifica-
toris nomen ex ipsa re adeptus sit; alter proa-
vus nempè vester, quem pulcherrimo corpore
reperimus, & maximo animo fuisse; ita ut ni-
hil nisi se majoribusq; dignum semper cogita-
rit, & magnas atq; periculosas res, ob Daniæ re-
gis CHRISTIANI SECUNDI liberationem,
& salutem, infracta mente susceperit. Nam hoc
ferè, ut Cicero inquit, sic fieri solere accepimus,
ut regum adflictæ fortunæ facilè multorum a-
nimos alliciant ad misericordiam, maximèq; e-
orum, qui aut reges sunt, aut vivunt in regno:
quod regale ijs nomen magnum & sanctum es-
se videatur. Quid hic fortunam adversam quæ
intervenit accusemus? cum constet nobis o-
mnibus, non secundam illum melius tulisse, ma-
joremq; ex ea re laudem adeptum esse, quàm æ-
quo animo hanc adversam, ita ut non majus
quàm debeat, ipsi onus sit visa, tulerit. Nec gu-
bernatoris artem, mare tranquillum & obse-
quens ventus ostendit: aliquid adversi incidat
oportet, quod animum prober. Itaq; hæc adver-
sa fortuna, & obsessio non solùm illustriorem
effecit proavum uestrum; Sed CHRISTIANI

TERTII ELECTI REGIS DANIAE, OPT. PII, & FÆLLICIS virtutes, Magnanimitatem, clementiam, & moderationem animi illustravit, & proavestri animum conciliavit. Quis enim non dissimilis homini non moveretur, & inflammaretur, tot tantarumq; virtutum, in uno rege conspirantium, consensu, & concentu? strictim omnia percurrenda potius quam dilatanda esse videmus. Quia tamen ad gloriam Patriæ Principum spectat, HENRICI FILII MAGNI EPISCOPI SVERINENSIS dimidiæ partis provinciæ nostræ hæredis futuri laus, non silentio omittenda est. Summa enim vitæ innocentia, excellenti doctrina fuisse præditur: qui de rebus gravissimis ex tempore, si opus esset, summa cum admiratione sæpè diceret, & tam sapientiæ quam eloquentiæ laudem, incredibili diligentia partam facillè tueretur. Sed ad ALBERTUM revertamur, cui non suffecit seipsum repub. dignum præstitisse Principem & optimum vitæ exemplum filiis exhibuisse, ut ipsum tanquam in speculum intuentes ipsius virtutis imitatores existerent, & non solum decus corporis, & dignitatem, sed prudentiam, justiciam, fortitudinem æquarent. Igitur non negligenter, sed rectè eos educandos curavit:

curavit: educatio (Dei beneficio) fœliciter ces-
sit. Quid enim avo vestro JOHANNE ALBERTO
primo sapientius? quid ULRICO justius? quid
GEORGIO fortius, & bellicosius? quid CHRISTO-
PHORO constâtius? quid hoc nostro patre patriæ
CAROLO religiosius, pacatius & reipub. amâtius
fingere & cogitare cujusq; ingenium posset. O
fœlices tanto patre filij! O fœlicior tam optimis
& in omni virtute clarissimis, & exercitatissi-
mis principibus pater! O fœlicissima, tot deco-
rum, & virtutum arbitra & spectatrix hæc no-
stra respub.! Quia autem avi vestri gloria, pro-
pius ad vos, quàm cœterorum principum per-
tinere videatur, non postremam hujus habuisse
fertur pater curam. Ad conjugis enim fratrem
JOACHIMUM SECUNDUM electorem BRANDEN-
BURGICUM, ut cum ipsius filijs educaretur, hunc
misit, unde FRANCOFORDIAM ad Viadrum, cum
quibus educabatur electoris filijs missus, vixe-
runt, ut Heroicæ indolis Principibus dignum
fuit: postea prodijt in vitæ humanæ theatrum,
ab ipso patre in comitia RATISBONAM abductus,
& sapientissimo & fœlicissimo Imperatori Ca-
rolo V. commendatus: anno insequente con-
silijs & rebus ad militiam necessarijs instructus,

cum equitum turma ad imperatorem, tum bellum GERMANICUM molientem remissus, laudem tirocinij benè positi acquisivit: postea ad capeffendam rempub. revocatus, cum patruo HEINRICO, summa cum laude & concordia, quod est animi modesti, & prudentis signum, ita ut in omnibus reipub. partibus consentirent, rem gessit. Quis in dubium vocaverit, summam vestrarum provinciarum incolumitatem, salutem, & incrementum, tum non à patriâ rectorum concordia, consensu, & mutuo amore profectum? Etenim circumspiciamus omnia, quibus florere soleant provinciæ, regiones, & civitates, eaq; quæ populo grata, & jucunda esse soleant; nihil tam populare quàm pacem, quàm concordiam, quàm ocium reperiemus. Sequitur deindè infælix & miserabilis GEORGII ad FRANCOFORDIAM ad Mœnum casus, nobilissimorum scriptorum monumentis Germanis, & Gallis, posteris, ut tura potiùs, quàm splendida appetant consecratus, & HEINRICI PACIFICI mors, qui anno quadraginta octo continuos, pium ac salutarem principem his regionibus dedit, non solum pacis & disciplinae assiduus custos, sed summi beneficij auctor, quod ve-

ra vox

ra vox doctrinae de Dei agnitione & invocatio-
ne; quae sola portum aeternae salutis monstrat, inter
nos pura, & incorrupta sonat. hunc in aeternas se-
des hac mortalitate derelicta praegressus est MA-
GNUS filius, cuius ut & patris supra mentionem fe-
cimus: Postea ob divisionem, nonnullae fratrum,
quibus facile totius reipub. facies converti po-
tuisset, obortae discordiae. Cupidius enim plerun-
que se gerunt mortales, in mortalibus, &
fluxis, ut sunt, de quibus inter se digladi-
antur, regna & principatus: Optimis tamen
ordinum consilijs, quibus ab utraque parte, ob-
temperatum, mutua fratrum concordia, & gra-
tia stabilita est. Quid autem amicus, quam fra-
ter fratri? aut quem alienum fidum inveniemus,
si eodem sanguine creatis fratribus hostes fue-
rimus? Par enim omnino, ut ijs obtemperetur,
qui facilem & rationi consentaneam viam salutis
ostendunt. cum nostrae nobis inter nos irae dis-
cordiaeque placandae sint: post reditum in grati-
am, mutua pax & concordia ad extremum faeli-
citer culta: respub. optimis legibus constituta:
suus etiam & quidem praecipuus extitit religio-
ni, & pietati cultus; quod sine ea nec principes,
nec subditi officium recte fecerint, nec socie-
tas ul.

ras ulla constiterit: quia non fides, non justitia, non virtus, sed fraus, licentia, protervitas, & ut paucis multa complectamur, confusio hominum, publicarum privatarumq; rerum sequuntur. Quia autem præcipuum quo respub. cohæret vinculum justitia; nihil habuerunt prius & posterius optimi principes, quàm judicia constituere: certum litigandi modum, ac ordinem præscribere: ne quid cupidè, ne quid per injuriam fieret, prohibere: summa infimis æquare: Verùm paulatim esse cœperunt quàm plurimi, qui hanc justiciam & æqualitatem naturæ convenientem, non per se colant, sed lucrari, & proprij commodi causa; quos avaritia falsos fieri subegit, & magis vultum quàm ingenium bonum habere: justitia nulla esse cœpit. Id enim injustissimum ipsum est, justiciæ cultum, ad aviditatem dirigere, homines excoariare. Ut enim quisq; maximè suum commodum respicit, se omnium quamvis manifestissimorum scelerum advocatum & patronum gerit, nec honestatis ipsius, nec legum curam habet: ita minimè est vir bonus, ut qui virtutem, jus, honestatem, præmio meretur, nec ullam virtutem, nisi malitiam & fraudem putat.

Non

Non est animus Principes, Principum nostro-
rum quibus publica, & privata felicitas, in con-
stituendis judicijs fuit proposita, consilium
spernere, leges sine quibus conjunctio homi-
num, & naturalis inter ipsos societas conserva-
ri non potest, tollere: Jurisconsultos, quorum
magna semper apud nos fuit, & merito esse de-
bet, auctoritas, in contemptum vocare: cani-
num illud hominum genus, quibus fas, ubi ma-
xima merces, notam. Ut enim vini immodico
usu ingenia corrumpuntur: sic ex causidicina
illâ, nimius, cum injuria partium omnium illo-
rum, qui circa ejus ministerium versantur, pro-
veniens quæstus nisi moderetur, & corrigatur:
interitus omnibus judicijs, & rebus pub. immi-
nere videtur. Ubi enim omnia ex utilitate &
fructu penduntur, negliguntur leges, easq; per-
rumpet si poterit is, qui sibi eam rem fructuo-
sam putabit fore. Hinc litium protractiones,
innocentum partium suppressiones, miseriæ,
querelæ, & lachrimæ subditorum, de qua re &
infra dabitur dicendi locus. Ea est enim hu-
manarum rerum ratio, ut omnia facillimè, nisi
subinde ad principia revocentur, in pejus dila-
bantur. Quamvis enim concordissimè nostri
C principes

principes fratres, quibus potior reipub. cura de-
mandata, inter se vixerint, patriæ saluti prospe-
xerint; & quibuscunq; potuerunt studijs, homi-
num nimijs cupiditatibus restiterint, omnes à
superbia, & petulantia in actionibus, luxuria in
vita; ad pristinam modestiam, temperantiam,
continentiam, pudorem, pudicitiam, infamiæ
metum revocaverint. & disciplinæ patriæ vel
qualecunq; specimen, ipsis malis verendum sta-
bilierint; ut omni ex parte reipub. fælicitas ap-
pareret: Ne tamen fors provinciæ omnibus
molestijs pura esset, calamitas quæ alteri fra-
trum D. CRISTOPHORO ob fidem imperio
servatam accidit, & civilis ac intestinus motus
potius, quàm bellum, lætam nostræ reipub. fa-
ciem, mirum in modum defædarunt & obscur-
rarunt. Magnam etiam in imperio (ut ex mo-
numentis literarum non solum constat, sed ab
ijs qui rem propius cognoverant, vel à nostris
proprijs hominibus, vel ab alijs accepimus) ma-
gnam, inquam sapientiæ famam sibi concilia-
verat avus vester: colebat sapientes, nec asper-
nabatur ullum qui sui usum in repub. sive pace,
sive bello præstare posset: hinc fiebat, ut noti-
cia, amicitia, & familiaritas singularis, cum re-
regi-

gibus & præcipuis EUROPE principibus, ipsi
intercederet: nec tam colebat alios, quam mu-
tuò colebatur ab ipsis: quare & principis & hu-
jus provinciæ gloria apud exteros crevit. Non
n. poterat esse nisi optimus, qui bonorum, sapi-
entum, & virtute præstantiū cōsuetudine quo-
tidie frueretur, & seipso melior evaderet. Vi-
dit hæc acutus, & pravus rerum civilium arbi-
ter MACHIAVELLUS, in illa sua principis,
vel potius tyranni instructione. Princeps e-
nim, qui suum unius commodum spectat, non
sed tyrannus esse videtur: Itaq; putat optimam
conjecturam ex eo capi, qualis quisq; & cujus
ingenij, pravi an recti sit princeps, si quis ma-
gnæ ipsius fortunæ adjutores, & ministros, quan-
ta fide, virtute, sapientia & sufficientia sint, in-
spexerit. Æquè enim facile de prudentia e-
jusmodi principis qui prudenter elegerit, nec e-
ligendo deceptus sit, licet statuere, quam ille de
SENENSI Principe PANDULPHO PETRU-
CAO fecit: quod ANTONINI VANAFRI viri
dignissimi consilij & ministerio uteretur: &
fidem ac virtutem ejus sibi promptam ac para-
ram haberet. Indignum enim revera est ac
miserandum, cum nautas eligat gubernator, &
gubernatorem navis magister.

Qui

*Qui rectè in puppi norit defigere clavum,
Et rectè antennas surgente intendere vento,*
cum architectus ministros & operarios conducit, non qui corrumpant opus, sed qui in eo quam rectissimè absolvendo adjuvent: civilem virum, & reipub. principem, qui optimæ sit, ut Pindarus loquitur, artis magister, opifexq; justiciæ & juris, non statim ab initio deligere amicos eodem modo affectos, & ministros eodem ad honestatem animi instinctu excitatos: sed eos adhibere qui ad alios subindè atq; alios usum eum injustè ac violenter detorquent. Quid enim ab opifice ejusmodi princeps differt, qui per imperitiam & inscitiam normis utatur regulisq; & libellis ijs, ob quas pravum fieri opus necesse sit. Judicent hic prudentes, & rerum gerendarum periti, an magnificentiæ, liberalitatis & bonorum studiū, adeò damnosum esse potuerit reipub. (quamvis itinera ad externos, mutuæ legationes, & legatorum magnificè receptiones, cultus & sustentatio omnis generis virorum, in re militari, & litteris præstantium, magnos & ingentes sumptus requirant) nisi publicæ, & privatæ calamitates intervenissent. Nihil enim hic vanè & leviter impensum,

sum, cum omnibus sua constiterit ratio: nihil
per venationis, & in moderatore reipub. utut
sit regum, summoperè (nisi moderatio acce-
dit, & reipub. cura) reprehendum studium
neglectum; nihil per luxuriam ut passim alibi
fieri videmus, consumptum. Accedit quod in e-
jusmodi ingenijs magnis & excelsis, omnia ad
gloriam, & gratificandi voluntatem spectare
videmus. Itaq; factum, ut post fratris magnis
impensis à P O L O N O impetratam liberationē,
& primariæ civitatis R O S T O C H I I (quæ ab æ-
qualitate recedere, & sibi plus capere, & arroga-
re præsumebatur, quam regia nostrorum prin-
cipum auctoritas, & jus ferrent: ita ut ipsis li-
bertas, principibus antiquum jus & auctoritas
constaret) reditum in gratiam, optima ista civi-
tas, ab eo tempore in fideli principum cultu, &
convenienti observantia, quam vultu, sermo-
neq; semper præ se tulit, cum cæteris ordinibus
certaverit: in eoq; ab omnibus, quibus hinc in-
de reipub. cura mandata & commissa, labora-
tum sit, quemadmodum respub. ære alieno, dif-
ficillimis ejus temporibus, quoad principem,
quoad civitatem contracto liberarerur; incom-
modum resarciretur; provinciæ totius, & civi-
tatis

tatis potentia, fœlicitas, firmitas, & auctoritas,
in imperio ROMANO stabiliretur: & cives om-
nes & singuli cujuscunq; status, & conditio-
nis essent, benè beatèq; agerent: quod cum a-
vus urgebat, à nobis ad meliorem, & omnis ma-
li expertem vitam demigravit: totiusq; rei sum-
ma, tam proprio quàm tutorio nomine ad UL-
RICUM propatruum, principem prudentem, &
justum delata; cujus erat eorum quos curaret,
cum tutela & negotiorum, & procurationum
difficultatem sustinere: & quia hujus principis
nobis carissimi, & nunquam donec spiritum
traxerimus obliviscendi imperium, in nostrum
incidit tempus; attestari & verè affirmare pos-
se videmur, Principem illum salutarem, Dei
metuentem, & summum pietatis cultorem,
constitutorem, defensorem fuisse: idq; eorum
temporum tranquillitas, & tam principis, quàm
subditorum in Imperio & vicinis regnis digni-
tas, & fœlicitas ab omni immanitate & crudeli-
tate remota arguere putatur. Nam qui ob vitio-
rum magnitudinem & cumulum, quibus ani-
mum manciparunt, negligunt Deum princi-
pes, & illis & ipsorum causa miseris subditis, pro
quibus omnibus exemplo DAVIDIS regis, re-
censio-

ensione populi, Deum offendentis, se pænæ
objicere deberent) res malè succedunt: quia
desertores sui Deus deserit, nec cadunt solum
turpiter, sed ruunt. Cæterum quoad pristinum
retinuit vigorem noster princeps, imò quoad
vitam duxit; non est imitatus turpem CLAU-
DIANUM fruticem, cui non amor, non odium,
nisi indita & iussa: qui ducebatur, ut inquit Ho-
rarius, à suis, ut nervis alienis mobile lignum:
de quo Suetonius cap. 14. Regebatur trium ar-
bitrio, quos unà & intra palatium habitantes,
nec unquam non adhærentes, pædagogos vul-
go vocabant. PHILIPPUS COMINÆUS e-
nim observavit, & monuit singulares tantam
fidem apud Principes habentes, ut eos alij obser-
vent, & metuant, eos revera dominari, & re-
gnum obtinere, suisq; rebus tantum, & faculta-
tibus consulere. Quod CAROLO 8. REGI
Galliæ evenisse ex ejusdem historia liquet, &
possent dari novitia, & à nostra ætate & memo-
ria haud remota exempla, nisi ISAACI IM-
PERATORIS Græci apud nostrum CHONIA-
TEM exemplum se opportunè offerret. Habe-
bat is secum THEODORUM quendam CA-
STAMONITAM, hominem cum ad alias res
civiles,

civiles, tum ad pecuniarias aptissimum, quem non suis tantum, sed sibi præficiēbat, LOGOTHETAM designabat, & ab eo ducebatur, reducebatur, ut obnoxium aliquod animal, aut potius instar mancipij; omnia quod ab eo imperaretur peragebat, nihil ipse discernens; quo mortuo adulescentulo cuidam, vix à tabulis, & scholis digresso, summam rei committebat; qui non ipsum imperatorem solum, uti cerum maximum, parvus piscis qui Propompus dicitur, quo volebat ducebat & circumagebat, sed & militares numeros legionesq; tractabat, quasi ab ipso semine & incunabulis, maximarum rerum administrationi innutritus esset, aut quasi ab ipso natali scilicet sapuisset: haud aliter, quàm Sybillam, simul atq; ab alvo prodijset, de fabrica universi differuisse ferunt. Mox subsannat idem auctor. Erat ille adolescens velut apicula aut culex, aures Leonis assiduè circumsonans, aut ut niger pumilio, qui maximum terræ pondus elephantem gubernat; vel ut funiculus; qui camelum naso trahit; vel deniq; ut angusta porta & semita, quæ ad aulam ducit. Et si autem apud nostrum Principem notæ prudentiæ, & probitatis unus atq; alter plurimum valuit: at-

tamen

tamen TIBERIANA simulandi & dissimulandi
arte semper usus, non credidit facile, nec u-
num atq; alterum solum audijt; quin porius ipse
jucundum duxit, rempub. capessere, nec sibi
repub. sed se reipub. datum arbitrari. O
pessimi, impij, & nefarij, ad dedecus publicum,
& in perniciem patriæ nati principes, qui in im-
perio non nisi imperium cogitant! civium ser-
vitutem, non tutelam spectant! stupris & adul-
terijs Principes agunt! O beatus, gloriosus,
fælix, & cum caritate & benevolentia civium,
cum viveret, tum grata posterorum memoria
dignus noster Princeps D. ULRICUS; Omniũ
somnia illius vigilantia defendebat; omnium
ocium illius labor; omnium delicias illius in-
dustria, omnium vacationem illius occupatio.
Ideò quocunq; proficisceretur, in cunctis suis
provincijs, civitatibus & præfecturis, quocunq;
venerat, & publicè & privatim maxima erat
læticia. Non enim itineribus ipsius perterre-
bantur homines, non sumptu exhauriebantur;
non adventu commovebantur; omnes ipsum
tanquam salutare & beneficum quoddam nu-
men de cælo ad salutem dandam, delapsum a-
spiciebant, admirabantur, venerabantur. Sum-
ma enim ipsi in jure dicendo severitas, quæ

D

non va-

non variebatur gratia, sed cōservabatur æquabilis; nec solūmodò ab ipso æquabiliter & diligenter jus dicebatur, sed idem fiebat ab ijs, quibus tum ejus muneris aliquam partem concesserat. In senatu provinciali, præ cæteris eminuisse cognovimus, WERNERUM HANEN, JOACHIMUM CRUSEN, JOHANNEM GRAMMON, DIDERICUM BEVERNEST, JOACHIMUM WANGELIN, viros præstantia virtutum, doctrina, fide, & meritis in rempub. claros, ætate etiam reverendos, & præ alijs insignes, sed Bevernestium, auctoritate, fide & virtute præstantem, in Principum & reipub. negocijs plurimum versatum virum, præteritus demum annus, inopinato casu, & improvise ignis læsione, cui adhibita non sufficeret medicina, non sine maximo omnium qui caritate patriæ ducuntur luctu, nobis abstulit, & non sine divino munere ex his duos, WOLFRADUM BASSEVITZEN, & JOHANNEM HANEN superesse passus est. In aula, ut de GEORGIO BELOVIO, viro dexterrimo & prudentiss., de JOACHIMO LUHIO omni genere primarum virtutum ornatissimo viro, & alijs ejusdem notæ viris taceamus, inter alios principem obtinuit locum

IACO-

JACOBUS BORDINGUS Cancellarius, nunc
Consul LUBECENSIVM dignissimus, maximè
omnium quos cognovimus, bonus Iurisconsul-
tus, & Politicus, integritate, & fide in omnem
MEGAPOLITANAM rem conspicuus vir,
Servio Sulpitio non absimilis. Neq; enim ille
magis Iurisconsultus, quàm justiciæ fuit: Itaq;
quæ proficiscebantur à legibus, & à jure civili,
semper ad facilitatem æquitatemq; referebat:
neq; constituere litium actiones malebat, quàm
controversias tollere; cujus viri in consilijs atq;
factis, nec nimium ac parum unquam fuit a-
nimadversum. Igitur summis & infimis æquè
gratus. Non enim licebat ipsis esse negligentibus,
aut ociosis; Argus adpuppim sedebat, ipse
clavum tenens. Ubi enim summus imperator
non adest ad exercitum, citius quod non factum
est usus fit, quam quod factum est opus: & quia
Deus leges & jura in manu Principum esse vo-
luit, omnis ævi exempla (quicquid in contrarium
alij acriter asserant & defendant) nos do-
cent, justiciæ munus in publico & privato uti-
liter & decorè à principibus obiri, & imperato-
res, & priscos reges non neglexisse. Perma-
gnus igitur noster Princeps, & doctrina, & na-

rura duce in magnis & enormibus causis iudicabat, & ad supplicantium preces rescribebat: patientes aures omnium querelis habebat: nullius inopiam & solitudinem, non modò illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem sua, & cubiculo excluderetur, ut legum præsidem, civitatisq; rectorē decet, quamdiu poterat verbis, & his mollioribus ingenia curabat: facienda suadebat, cupiditatemq; honesti & æqui conciliabat animis, faciebat vitiorum odium, pretiū virtutum; deindè ad tristiores orationem, novissimè ad pœnas decurrebat, ut nemo periret, nisi quem perijsse, etiam pereuntis interesset. In summa ut multa paucis dicamus, sic se probabat in universo suo principatu, & tanta potestate, ut ipso vivo nulla alia potestas, nisi à legum & pœnarum hostibus, infrænatis, sceleratis, malis & pessimis hominibus desideraretur. Hinc conjecturam facere licet (quia homines imprimis ad alta flectunt oculos, & exempla sibi suisq; moribus inde sumunt) quales subditi ipso rerum potiunte fuerint. Verùm enim THEODORICI regis GOTTHORUM ad S. P. R. effatum, apud Cassiodorum 3. Var. epist. 12. Facilius esse errare naturam, quàm dissimilem sui prin-

princeps repub. possit formare. Sed patriæ & reipub. nostræ, vel potius generis humani delicia & amor D. ULRICUS diutius paulò nos detinuit; in patris verò vestri, Principis illustrissimi JOHANNIS (cui cum Jove nostro ULRICO conjunctum imperium fuit) laude recensenda (quia omnibus Principibus Megapolitanis, fermè eadem laudes convenire videntur) ad modestiam, moderationemq; vestram orationem submittemus, nec minus considerabimus, quid aures vestræ ferre possint, quàm quid ejus virtutibus debeatur; ut tantum absit à specie adulationis oratio nostra, quantum à necessitate. Merentum enim laudes narrare facile est Principes eminentissimi, ut ad TRIANUM suum Plinius. Non enim periculum est, ne cum loquamur de humanitate, exprobrari superbiam credatis; quum de frugalitate, luxuriam; quum de clementia, crudelitatem, quum de liberalitate, avaritiam; quum de benignitate, livorem; quum de continentia, libidinem; quum de labore, inertiam; quum de fortitudine, timorem. his enim virtutibus patrem vestrum præditum, & contrariorum vitiorum fuisse osorem nemo sanioris mentis, & rectioris judicij, qui

rem & hominem novit, negaverit; nec malum
vel potius infortunium, quod privatim grave
fuit, & ad extremum extinxit, hanc solidam e-
jus laudem, & gloriam unquam obscurabit. Nā
fortuna, ut Seneca inquit, fortissimos sibi pares
quærit: contumacissimum quenq; & rectissi-
mum aggreditur, adversus quem vim suam in-
tendat. Ignem experitur in Mutio; paupertatem
in Fabritio, exilium in Rutilio, tormenta in
Regulo, venenum in Socrate, mortem in Carone.
Itaq; cum videamus optimos & Deo accepti-
ssimos principes, & alios viros bonos, laborare,
sudare, arduum ascendere: malos autem lascivire,
& voluptatibus fluere: cogitemus filiorum
nos delectari modestia: vernularum licentia:
illos disciplina tristiori contineri, horum alii
audaciam. Nam regius propheta David Psal.
37. in spirituale hoc certamen erumpens, trutinā
nostra judicia Dei expendere, profundum chaos
vocat, & summam stulticiam, Liquet nēpē
de Deo, illum bonos non semper in delicijs
habere, experitur, indurat, sibi præparat. Sæpē
aliorū indicio cognovimus humanissimas ipsius
& principe dignas voces, quibus animum in suos
subditos & vasallos testaretur clementissimum,

num, & patriæ salutem cunctis viribus & cogitationibus complectentem; Agerrimè & summo cum dolore ferebat, si quid gravius imperandum, vel provincialibus, vel civitati; si quid exigendum, quod sine sua culpa, fatali quadam necessitate accidisset, ut id quandoq; si publica salva esse vellet, esset faciendum. In hoc LUDOVICO 12. cum CAROLO Patri patriæ nostro similis, quem ut est apud BEMBUM lib. 7. epist. & MASSONIUM annalium lib. 4. GALLI plebei ordinis patrem appellarunt, quòd expilationem populorum odisset, ac nihil debere potius, quàm multa largiri sapientem regem, & principem prædicaret. Quanquam enim ad moderationem optimorum principum, & caritatem patriæ & reipub. spectare videtur (utpotè quibus de paupertate, & subditorum impotentia constat, & constare debet) raras vel potius nullas exactiones permittere. Nam cum rusticis & aratoribus omnia fermè contributionis onera imponuntur; non omnes si quæ sunt præterea facultates, sed arationis & agriculturæ ipsius vis ac ratio consideranda est, quid ea sustinere, quid efficere possit aut debeat. Araria enim principum, qui grandia nimis, & quotidiana tributa exigunt,

exigunt, rem cum pulvisculo subditorum aufe-
runt, apud rerum civilium auctores gravissi-
mos, spoliaria civium cruentarumq; prædarum
receptacula appellantur: testantur præterea fi-
deles virtutum ac vitiorum principum custo-
des historiæ, quanto cum periculo regnorum,
provinciarum, & civitatum sæpius exactum:
quam tumultuatum, & seditiosè ac petulanter
multa peracta. Apud SCOTOS CONARUS XXIV.
Rex, regnum & libertatem amisit, quod de ino-
pia publica conquestus, splendoris & elegantia
honestis nominibus vitia sua regens, pro rei fa-
miliaris modo tributum indiceret: re ad con-
cilium delata, censebant libertatis, & juris sui
retinentissimi viri, & Proceres SCOTI (ut est
apud BUCHANANUM ejus gentis historicum
lib. 4.) Patrimonium publicum non è civium
direptione, sed è Parsimonia domestica supplè-
dum, sumptuum cuiq; modum non ad cupidi-
tates, quæ infinitæ sunt, sed ad census mensu-
ram, & necessitates naturæ componendum.
Nihilo tamen minus justis prementibus & pu-
blicis causis, id quandoq; necesse est: utpote cum
constet, profusionem & immensas donationes,
luxuriam, & libidinem, ærarium non exhaustis-
se, sed

augixs

se, sed publicas necessitates aut intervenientes calamitates. Quod enim regnum, quæ respub. sine tributis & rationem reddit **TACITUS**; nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendijs, nec stipendia sine tributis haberi queunt: astipulante huic sententiæ **CICERONE** ad **Q.** fratrem **ASIAE** prætorem: sapè enim in repub. **ROMANA** difficillimis temporibus, & postea ob tenuitatem ærarij, & assiduitatem bellorum, tributum fuit conferendum. Accepimus, post **CANNENSEM** cladem, duplex tributum imperatum, simplex statim exactum: quandoq; nimio conferendi studio, inter patres & plebem certatum legimus apud **LIVIUM**: & **VENETORUM** respub. perfectissima, sæpius ad hoc asylum refugit: ut de imperio **ROMANO**, sive **GERMANO** & alijs regnis taceamus. Quis enim non principis aut patriæ commodum, suo præferret? quis non perdere de suo, & publico cui vitam debet addere vellet, si viderit principes tanquam dispensatores, non suorum, sed communium bonorum, continenter viventes, & nihil vanè quod postea avidius, de repub. sumant effundentes. Videmus enim malè cautos quosdam privatim largiri suarum cupiditatum ministris,

E

nistris,

nistris, quod ALEXANDER ROMANUS, ut est
apud LAMPRIUM, in eius vita nefarium ef-
se duxit, ut dispensator publicus in delectatio-
nes suas, suorumve converteret, & luxuriose
prodigeret quod provinciales dedissent. Non
sic pater vester, nō sic fecit: hic maluisset omni-
bus exactiōibus, & caritativis subsidijs, (uti vo-
cant) quia ex debito non penduntur, carere, si
per reipub. necessitatem licuisset. Itaq; vul-
go existimatū, quicquid tribueretur ipsi tanquā
custodi dari, & in publicum tribui: quod testan-
tantur ordinum & populi lachrymæ non in ul-
lo luctu MEGAPOLITANO, quam in illo vestri
patris, quod caritatis signū, largius profusæ: quia
pleræq; virtutes cum D. ULRICO in imperio
conjuncto, ipsi erant communes, ambobus
nempè studio, & curæ erat, ut in Panegirico e-
ximij, & de juventute benè meriti philosophi
JOHANNIS CASELI ad MAXIMILIA-
NUM II. Imperatorem.

*Interiore animos vacuos à labe potiri,
Occultasq; vias veri penetrare, nec ulla
Parte sui, à recti sancta deflectere norma.*
Proindè optandum fuisset, ut eandem vitæ &
imperij longitudinem, cum pro patruo D. UL-
RICO, cui

RICO, cui virtutibus æqualis erat, consecutus
fuiſſet. Sed invidentia fortunæ, & hominum
ſubditorum malitia, & peccata non ſolum hunc
quem diximus veſtrum patrem, NESTORIS
annis, & TRAIANI felicitàte digniſſimum, ve-
rùm etiam illuſtriſſimum ipſius fratrem, rectiſ-
ſimi ingenij, & ſubditorum amantiſſimum
principem DN. SIGISMUNDUM AUGU-
STUM, immatura morte ſuſtulerunt, id quod i-
pſis æternam læticiã, nobis & univerſo Ducatui
longum mærorem creavit. Nunc pater pa-
triæ DUX CAROLUS, nos ad ſe trahit, qui vi-
vit, regnat, & ut diu id faciat, ab omnibus optan-
dum eſt. Utriuſq; ſuſcepit ULRICO mortuo im-
perij molem, fide & caritate perpetua, non vos
magis quàm univerſam rempub., cujus cauſa
& veſtram ſalutem quærit, complexus eſt. Eſſi
enim minor ipſius ſplendor, honor & gloria vi-
deri poterit, quia privatis quaſi parietibus, &
certis præfeſturarum limitibus incluſa latuit hu-
jus virtus, nec tam amplum, quo excurreret ha-
buit campum. Nihilominus quod omnibus im-
perijs & regnis præſtat; moderatio ipſius & ab
omni ambitione ac regnandi ardore alienus a-
nimus, ex eo elucet, quod ſpõtè fratribus de im-
perio

perio concessit, & mori patriæ obsecundavit; utpote qui sciret nec cælum plures soles, nec principatum regentium infinitatem ferre posse, & duobus haud concordem, & reipub. conferentem in consilijs publicis ad summam rerum quod attinet, esse sensum, & consensum; multò minus plurium: quin ea vulgo negligi, & ad interitum ruerè videmus, quæ per plures curantur: agnovit hunc defectum VANDALICARUM rerum scriptor eximius CRANZIUS. Itaq; scribit divisione varia, & multiplici principum & familiarum nobilium potentiam, & auctoritatem frangi; res infirmari, facultates minui: nec opus verbis ubi rerum adfunt testimonia. Quanquã sint, qui passim sine ætatis, dignitatis & status discrimine connubia & sic divisiones suadeant; nec ipsi destituti rationibus, cum plærosq; ducere rectum sit: neq; abstinere aliquos, falsum, non, ut voluptuariam vitam ipsi magis sectentur, sed alijs, atq; alijs gravibus de causis: Quid si ad tales imus in privato nostro statu, qui particulatim sua dividerunt, factio agnati, & amici occurrent, & alternis jus aut injuriam sæpius gratificantes: mox nisi singularis adsit dexteritas, & à suprema causa fortuna, in-

tuna, inopia, paupertas, & omnium qui antè coluerant, & instar muscarum, quæ cum ipso nidore confluunt, & recedunt culinam secuti fuerant, contemptus; qui quidem error à militari ordine cognoscitur, nec corrigitur; sed nostri Principis magnus animus habuit, quo etiam in privato lare, se explicaret, nec ut leonum animaliumq; impetus caveis coercetur: sic hominum quorum maximæ in seducto actiones sunt. Omnes enim regias virtutes, ut omnibus vestri principatus ordinibus, potissimum ijs, qui officij causa eum sepius accesserunt, aut in famulatio ejus fuerunt, constat, in hoc nostro principe esse certum est, & fuisse antequam regeret. Quanta enim ipsius cum fratribus concordia? quanta cum consobrinis ex sorore filijs conjunctio & amicitia? quanta deniq; ipsius in vos fides, caritas, & propensio, & quam paterna? Imprimis autem frugalitatem coluit & amplexus est; nec subditis onera imposuit, aut vicinis suis molestiam exhibuit. Etsi enim ut CICERONI, in oratione pro DEIOTARO GALLO greciæ rege, habita, videtur, hoc verbo reges laudari non soleant. Frugi enim hominem dici non multum habet in rege & principe laudis, fortem, ju-

tem, justum, severum, gravem, magnanimum,
largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regię
laudes, illa privata est; ut volet quisq; sentiat,
nos tamen cum C I C E R O N E frugalitatem, id
est modestiam & temperantiam, virtutem esse
maximam judicamus; hæc in illo ab ineunte æ-
tate, à cuncta M E G A P O L I ab omnibus ordi-
nibus, à suis & alienis cognita & perspecta est.
Ita enim cum alijs res, consuetudines, ami-
citas, rationesq; junxit: ita se in hospitibus
regię & humaniter accipiendis gessit, ne ab of-
ficio (quamvis in hac parte antiqua consuetu-
dine G E R M A N I Æ, & G R Æ C I Æ moribus mor-
taliū ferè magis quàm confert, obsequimur)
discederet, ne quid negligeret, qua via consecu-
tus, ut non solum princeps clarus & nobilis, sed
optimus paterfamilias, & diligentissimus agri-
cola haberetur. In hoc imitatus est, antiquos
P E R S A R U M R E G E S, C Y R U M nempè mi-
norem, præstantem ingenio, atq; imperij glo-
ria, cujus hic historiam de agro consepto, & di-
ligeret proprijs manibus consilio referre lon-
gum esset; accedit etiam hoc suo consilio ad
priscos R O M A N O S, viros ad mundi totius im-
perium natos, qui ipsi de rebus rusticis doctissi-
mos &

mos & gravissimos libros scripserunt: & imprimis illum ab aratro Dictatorem L. Q. CINCINNATUM, qui obsessa ac penè jam capta M. MINUTII consulis castra, egregia virtute servavit. Cum enim nostra respub. in valetudine D. ULRICI tabem contraxisset, & illo senio confecto & languente, omnia languere, & spiritum & animam agrè ducere viderentur; Dux noster CAROLUS, medicam adhibuit manum, & tanquã ab aratro (si fas est parva componere magnis) ad reipub. salutem, & ab extrema ruina & interitu vindicationem vocatus, ut ab ipso moriente fratre, in ipsius tanquã optimi custodis sinum, respub. ne quid detrimenti caperet, collocaretur. Exemplum illustre ad omnem posteritatem, curam publicæ salutis etiam post mortem retinere. Nec optimus, aut communis noster parès, suscipiendo aut gerendo imperium, opinionem antequã regeret, de bonitate susceptam fefellit, aut à veteri via deflexit. Nam plariq; regnantium, non in longum boni (ut TACIT. lib. 4. Histor. inquit) sed suo aut servitij ingenio, dum adipiscuntur dominationes, multa caritate sunt, majore odio postquã adepti: exemplo apud eundem & civilis do-

lis doctrinæ studiosis meritò familiarem scri-
ptorem, GALBA imperator, qui omnium judi-
cio dignus imperio, nisi imperasset: In
ijsdem enim institutis perseverando, & subditi
in affectu erga ipsum perseverant suo. cum con-
tra alij principes quæsitam domi gloriam in pu-
blico; alij in publico partam domi perdidere.
Etsi autem adhuc nemo extitit, cujus virtutes
nullo vitiorum confinio læderentur; attamen
Principi, & patri patriæ nostro, tanta concor-
dia, tantus omnium laudum concentus
contigit, ut nihil severitati, ejus hilaritate;
nihil gravitati, simplicitate; nihil majestati hu-
manitate detrahat. Nullum ipsius acerbius
aut cum iracundiâ dictum; nullum crudelius
factum ad aures nostras pervenit: suo conten-
tum esse, nec aliena concupiscere, satisfieri sibi
honore pati, ut reges debent, & primarius sapi-
entiæ magister suadet: nec somniatur, quod a-
dulatores potentum impudenter & falso jacti-
tant, quæ civium subjectorumq; populorum
sunt, ea, quod non nisi quadantenus verum, esse
omnia principum. Noster quæ jure quodam,
vel ejus specie retinere, ijsq; bonis, quæ vulgo
mentæ vocantur, adijcere potuisset, repudiât,
reijcit;

reijcit; rarus, id quod est magnis principibus præcipua rerum ad famam referenda, & contra fraudes & violentiam, ne quisquam injuria afficiatur, jus esse constitutum. Multis, e contrario (quod sine invidia & contumelia cujusq; dictum volumus) omnis ex lucro odor dulcis; omnis spoliandi, de prædandi, & subditos premendi vel præsumpta causa, liquida & justa videtur: omnia rapiunt raptaq; detinent, nihilominus ut si nihil rapuissent, nihil detinuissent, desunt omnia. Nostro Principi, largienti & nihil auferenti, tamen Dei benignitate superest. Odio summo & publico id genus familiarium digni, qui plura ad utilitatē, quàm ad æquitatem, & rationem referunt, ex musca (ut est apud COMINAEUM scriptorem regium) elephantem faciunt, & ad ejusmodi artes partim adulatione, partim metu impellunt, toxica sui pravi ingenij infundunt, calumnijs iræ sævientis impetum armant, & quicquid animum offenderit rumore falso ulciscuntur, & ut est apud VOPISCUM bonos incautos principes decipiunt: quo hominum genere nihil in imperijs perniciosius. Quamobrem cum nemo omnium reperitur, in quem magis quàm in ipsam rempub. possit esse propensa CAROLI nostri benevolentia; quanta sit oportet

F

ejus

ejus amoris vehementia quo vos reipub. capita, & juven-
tutis principes prosequitur! Itaq; cum re-
medijs quibusdam in partibus languentibus, &
malè affectis, respub. nostra egere putetur; (Acci-
dit enim sæpè, ut illa imperij non minùs quàm ho-
minum corpora, medicinà egeant) ne eum laborè
ipse solus obiret, cum omnibus virijs curandis par
non esset, vos ad partem curarum & languentium
rerum noticiam admittendos censuit, & sibi gra-
viora reservavit, vel potius unà curam omnium
rerum vobis cum ager, consilium I E T H R O N I S
M O I S I datum, quo per M O I S E N ordines popu-
li distributi, necessarij disciplinæ ritus posteris tra-
diti, fortassis in eo secutus. His de causis, quia mu-
tua Principum & subditorum obligatio est, in po-
steris perpetuo lancienda, & rescancienda, stabili-
enda & conservanda: suo assensu videtur appro-
basse ut quo antea tenebamur vobis juramento
fidelitatis de novo obligaremur, & respub. vobis,
vos reipub. consecraremur. Vasalli enim juratis
dominis arctius, & domini ad ea quæ jurat vasal-
lus, & quæ fidei sunt securitatis, & defensionis,
vicissim obligati esse judicantur: scilicet ut vasal-
lum contra omnes nemine excepto, defendant, in
causa justa, & omnia alia quæ in juramento fide-
litis

ratis expressa sunt, servabunt. Igitur immortales tibi CAROLE princeps, merito gratiæ provinciatim, oppidatimq; habentur, primo quod reipub faves; deindè quod sic faves; ut imperij molem, à te ex parte declines potius, quam tol- las. Verum & rectum hic tuum iudicium, ô Princeps eminentissime, ut bona, & mala rei- pub. noscantur, & internoscantur tua opus ex- perientia, qui omnia noveras & videras, an- tequam tractaras. Igitur te ad proram seden- tem & clavum tenentem in partibus compe- tentibus adjuvent: tecum mala explorent; te ulcus tangentem, & medicinam præparantem, ut eo sælicius mederi & salvare possint, imiten- tur. Nec enim potest non optimus videri Prin- cept, qui Principes sibi optimos & reipub. sa- lutares futuros, prospexerit & dederit.

Intelligimus Principes Celsissimi, omnia quæ hæcenus tractavimus, rectius compara- tione demonstrari potuisse; cæterorum nem- pè infælicitatem, cum harum provinciarum sælicitate contendendo. Sed supersedendum putavimus, quædam ex omni numero eli- gentes, quæ in alijs provincijs aut non vi- gere, aut non æquè vigere censuimus;

quibus beneficio & virtute nostrorum principum fruimur. Per capita enim breviter decurrendum fuit, & nudæ rerum ab ipsis principibus (quos non solum rectè factorum, sed principes omnium rectissimorum consiliorum extitisse intellexistis) pace & bello gestarum, & in reipub. salutem collatorum meritorum summæ attingendæ. Glorietur Græci de suis, & perpetuo in ore habeant DARIUM, CYRUM, XERXEM, MILTIADEM, PERICLEM, EPIRUS de suo PIRRHO, de ALEXANDRO MAGNO MACEDONIA, se jactet, ROMANOS, FABRITIORUM, CAMILLI, MARCELLI, SCIPIONUM, MARI, CÆSARIS, CATONIS virtus, & immortalis consecuta gloria efferant. Aliæ provinciæ extollant suos & alios; Nos Megapolitani, HEINRICOS, MAGNOS, ALBERTOS, IOHANNES, GEORGIUM, ULRICOS, CHRISTOPHORUM, CAROLUM, & alios quam plurimos, præstantis, magni, firmi & constantis, moderati, & ab ambitione & cupiditate alieni animi, virtute & meritis in patriam insignes Principes, hostes potiùs servantes, quàm tyrannorum instar, civium hostes existentes, narrabimus & prædicabimus: hinc nobis, nostræq;
reipub.

reipub. documenta capere licet; inde fœdum
incaptu, fœdum exitu quod vitemus. Ea est
profectò jucunda laus, quæ à majoribus & ante-
cessoribus proficiscitur: si posteri & ipsi in lau-
de vixerint, & majores imitati fuerint.

Gratulamur igitur vobis Principes, de tanto
virtutum in hac una familia cumulo: de tanta
majorum obtenta & continuata gloria, & fama:
gratulamur nobis & universis vestræ ditionis
provincijs, de antecessorum, & virtute & be-
nificijs impetrata fœlicitate, atq; commodis, &
DEO OPT. MAX. gratias agimus, quod illustrè &
regiam hanc familiam in hac nostra communi
patria diurnare, nobis principum semen, mo-
res ad Dei leges quod former, superesse volue-
rit. Vos estis illa piorum & justorum princi-
pum propago: in vos confertur, & conferetur
tot provinciarum hæreditas: vos à primis incu-
nabulis, à lacte materna, à Deo incolumes in
hunc diem & nobis, & vobis conservati, & in
omnibus periculis muniti estis: tamq; ve-
strum quam nostrum est, gratum Deo præstare
obsequium: grates, gratiasq; agere, habere:
Vobis etiam eminentissimi PRINCIPES de il-
lis in vos collatis bonis gratulandū. Quæ enim
F 3 non ac-

non accepistis à Deo, sive natura, animi corpo-
risq; bona? quæ alijs deesse videntur, in vos affa-
tim omnia collata. Forma, corporis decus, inge-
nium, statura, vires, valetudo, omnia firma, & ma-
jorib. sive antecessoribus paria, vel æqualia; æ-
tas nondū pravis opinionibus corrupta, & supra
ætate indoles, ad præclarissima quæq; cape sen-
da sua sponte properans vobis adest. Iam quæ
laus juniorib. principibus præcipua est, non mo-
dò ardentissimo studio pietatem, in Deum coli-
is, & rectè monentibus faciles & obtemperâtes
vos præstatis, & ordinum atq; aliorum qui in pu-
blicis consilijs, sententiæ dictionem habent, re-
ctè & tempestivè monentiū consilia non asper-
natos esse dictis & factis præ vobis tulistis, sed
tanta etiam esse propatruī vestri optimi nostri
principis reverentia esse dicitur, ut nunquā neq;
omninò, neq; privatis, neq; publicis in rebus,
voluntas vestra, à sapientissimo ipsius, & in vos
sui amantissimos successores benevolo consilio
discreparit. Quid de mutua & fraterna caritate
dicamus? quæ se magna ex omni parte prodere
asseveratur, ut de benigno Dei auxilio in vobis
juvandis, si id consiliū porrò secuti fueritis dubi-
tari non possit. Ita etiam cum potentissimis, &
impri-

imprimis conjunctioribus ac vicinioribus nobis gentibus facilius amicitiam coletis, & perpetuam in maximis & minimis rebus concordiam custodietis: Nec quisq; vos & vestras provincias ob mutuam illam inter vos, & cum vicinis concordiam provocare, vel injuria afficere audebit, qui intelligit vos concordia firmos, necessarijs rebus instructos, expeditos & promptos ad vindicandum esse: singularis etiam vestra solertia, singulare judicium, in rebus examinandis: quo in genere nullius apud vos auctoritatem magnoperè pollere audivimus, nisi probabili ratione confirmetur: tum etiam naturæ quodam instinctu ab adulatione, quæ & tyrannidis nutricula, & legitimi principatus pestis; adeò abhorrere, ut solæcismos & barbarissimos aulicos, non minùs oderitis, quàm qui sibi omnis elegantiæ censores videntur, eos amēt & affectent. Sic n. futurum, ut nō facile amicos existimaveritis, qui vos sequuntur; sed illos demū quos non studijs privatis, nec ex commendatione & precibus paucorum, delegeritis, noveritis, aut ad lapidē lydium cōmunis famæ retigeritis, cum vos solos non solūmodò, sed ònes imperij vestri ministros, reipub. præstari debere vobis
persua-

persuasum habeatis. Sed paulisper ab hac laudum communiōe & conjunctione, quæ nunc tibi soli **JOHANNES ALBERTE** Princeps (utinam non diu, & alter ille noster æmuletur) competit, & nobis singularem ac præcipuam gratulandi causam præber, quod à **CAROLO Suecorum Rege**, experientissimo belli Duce, & acerrimi ingenij viro electus es, cui unicum propatruum tui **CHRISTOPHORI** invicti & constantis animi, ac summæ fidei in imperium **ROMANUM** Principis, ex **ELISABETHA GUSTAVI** Regis filia, unicum relictam filiam, **DN. MARGARETHAM ELISABETHAM** amplissimi patrimonij, & matrimonij hæredem, faminam lectissimam, & magnæ spei, quam multi principes appetere, tibi & desponderet, & collocaret, & te magnificè comitatū, cum nova nupta ad nos remitteret: de quo oppidatim provinciatisq; ut de alijs communiter, nunc in specie tibi gratulamur, à Deo precantes, ut cum uxore sis salvus, & ab omni labe purus, ut suæ benignitatis lucem in tenebris tibi offerat, stirpemq; per te propager, ut filios ex ædibus tanquam sagittas è pharetra, mittas in adversarios. Scriptura enim sacra istam fælicitatem, non ni-

non nisi justis, rectis, & innoxijs pollicetur:
quorum rem & spem fovet & tuetur Deus pro-
videtq;

Longæva ut usq; in sæcula

Sit sempiterna hæreditas,

Semper enim cum vicinis potentissimis re-
gnis, regia hujus familiæ conjunctionem, mul-
tum decoris, firmitatis, & splendoris nostræ pro-
vinciæ addidisse, existimatum est. Verum ut
eo redeat, undè divertit nostra oratio, de quo
merito & vobis, & nobis gratulamur. Ante-
cessorum vestrorum diligentia, fidei, & bene-
volentia debetur, quod ecclesia tranquillam
habet sedem, & verbum Dei purè in templis &
scholis docetur: quod justiciæ cultus, ea qua
nunc videmus ratione viger: quod respub. &
civitates florent, in obedientia perdurant, & ju-
stis imperijs modestè & sine recusatione pa-
rent, nec ullæ fermè civiles inaudiuntur dissen-
siones aut raræ, & nullius momenti. Ad ma-
jores vestros spectat magnifica & ad patriæ de-
cus arcium & firmissimorum in finibus & alibi
munimentorum, non sine ingentibus sumpti-
bus facta constructio, & armamentariorum insti-
tutio: Antecessoribus debetur diligens agro-
rum cultura, & varia, varijs anteaq; desertis in

G

locis

locis factæ prædiorum fundationes & instru-
ctiones. Demûq; majoribus & antecessoribus
debetur, quod non in MEGAPOLI penuria præ-
stantium virorum, qui ecclesijs sanctè & inno-
xiè præsent, qui reipub. quancunq; partem re-
ctè, & fæliciter gerant etjam in ordine eque-
stri, & adolefcunt indies alij, qui majores sine
dubitatione æquaturi sunt. Quapropter pri-
mum rogandi esse videmini, ne contrahatis
aut dimittatis animum, nevé vos obrui ran-
quam fluctu, sic magnitudine negocij sinatis,
sed secundum CICERONIS consilium vos e-
rigatis, ac resistatis, sive ultro occurratis ne-
gotijs. Neq; enim ejusmodi partem reipub.
gereris, in qua fortuna dominetur; sed in qua
plurimum ratio possit & diligentia. Consti-
tutionibus enim ad pietatem & religionem
pertinentibus, communi approbatione, latis
& sancitis, difficultatibusq; communi consilio
sublevatis, aut moderatis; nihil est in quo ma-
gis ingenia & PATRIS PATRIÆ CAROLI,
& vestra deinceps fatiganda erunt, quam quo-
modo publicis malis occurri, & respub. in o-
mnibus suis partibus & membris salva & in-
columis conservari possit, in quod ut incumb-
batis,

3
sup
qua p̄s̄im apud nos & contra honestatem, &
priscam nostri ordinis integritatem commissa,
in vulgus vix habent infamiam: in ades alte-
rius irruere; hospitibus molestum esse; quod-
vis genus leuitatis exercere; nec virginum,
faminarum, aut pudoris ullam, tenereratio-
nem laus est. Causa & origo omnis mali ex eo
oritur, quod & publica & notoria scelera suos in-
veniunt patronos. Nec tam clara causa est, quae
non aliqua lege, aut ijs quae nunc admittun-
tur, interpretationibus, opinionibus, excepti-
onibus, oblcuretur, & protrahatur: ac proinde
nonnulli etiam in causis iustissimis, desperati-
one, & inopia coacti & deterriti, ab actionis
intentione, vel persequutione desistunt, &
cum lachrymis & suspirijs quotidianis Deo cau-
sam committunt, eiusque vindictam implorant.
Rechtissime igitur Plato lib. 5. de Legibus.
Non fuerint concordēs unquam & inter amantes
cives, ubi multae lites iudiciales sunt, sed ubi ea,
breuissimae paucissimae. Detruncanda igitur il-
la immensa ligandi cupiditas, parua in teme-
re ligantes constituenda & exequenda. Nec
restituenda illius scriptoribus modo, sed optimis ju-
ris consultis Vigetio & alijs. Turcicus mos, &
iudicio-

adject, ut certum nobis, & his provincijs con-
sentaneum ius (ne avum inuuliter litigando, &
solum reterando consumeremus) præstanti-
simi & nostris temporibus celeberrimi iurif-
consulti Dn. FRANCESCI COTHMANNI studio,
fide, diligentia, & indefatigabili labore, inter a-
lios usus, sublati opinionum discrepantijs con-
stitueret: res capta, & in ijs partibus, quæ ad no-
stras manus pervenerunt, non inuuliter capta
videretur: & si quæ à nostris consuetudinibus, &
moribus alieniora, acerbiora, stridiosa, & co-
suetudinibus feudilibus magis, quam nostræ li-
berari, moribus, & privilegijs principum gratia
cõcessis consentanea, irrepserant, pronũ erat ra-
tionibus & moribus contrarium evincere, in
reliquis partibus tam in ijs, quæ ad tutelam, con-
tractus, successiones, ultimas voluntates, & ali-
as materias iuris, quam in ijs, quæ ad iudiciõ-
ordinem, procellum & progressum spectant, i-
dem conando consequi potuissimus. Sed fatali-
quadam necessitate (si vos iustinianum & Ulpianum
interim, perendum perendumq; natividemur.
Nã ubi multæ lites, nonne hinc discordia, nonne
odia; iniuria, iniusta provocaciones & cadesz
quæ

his iniquis susceptis, victoria promittitur: lites
falsis exceptionibus cautela ad vocatorum vul-
go vocantur, protrahuntur: immensi sumptus
in lites, & litium altiores impenduntur: quisvis
ex alterius, imò publico damno lucratur, dite-
scit: executiones suspenduntur: sumptus mode-
rantur: Quamvis enim CICERO non vilius sit,
in iure civili, non in finis concertationumq;
plenis disputationibus nos doceri, sed auctori-
tate, nuncq; legum: tamen ipsi iuris consulti no-
stri, qui præcipui sunt, & non è lacunis Docto-
rum, sed è purissimis philosophiæ & sacrarum
legum fontibus rem hauriunt, conquærun-
tur, integri & patriæ salutis amanissimi viri
conferunt, ab hoc iure nos jam diu aberrasse,
& doceri nunc non auctoritate nuncq; legum,
sed in finis concertationumq; plenis disputa-
tionibus, & Doctorum opinionibus incertis, si-
biq; invicem contradicentibus: Quis autem
certus ac constans reipub. fatus esse potest,
cum lex ipsa reipub. animatam sit incerta. Vi-
dit hunc defectum propterea vester D. ULRI-
CUS Dux prudentissimus, & beatissimus, vi-
dit, agnovit, improbavit. Ideoq; sua sponte, &
ab ordinibus monitus, & rogatus, eò animum
adjecit,

baris, meriti esse videtur provinciarum ordines &
 adhuc meretur, occurretur scilicet ab una parte.
 Politia, disciplina, norma & via recti, ab alte-
 ra ipsam medius & exemplo vestro mederi po-
 testis. Quis enim inficias ferit, gubernatio-
 nem felicem, religionem & pietatem, in fi-
 de, virtute, & iusticia, (quæ omnia suam
 non ferunt) fundari? Quis non intelligit
 ad iusticiam natos id solum Deo exhibere, atque
 offerre debere, ad quod capiendum nos ipse
 generavit? Quis porro, ut supra diximus ne-
 gaverit circa iusticia administrationem, ut
 præcipuum totius reipub. coagulum, & hic &
 alibi multum peccari, ac multa intervenire in-
 commoda, quibus leges, consuetudines, & pri-
 vilegia antehac concessa, non sufficient, aut non
 sufficere posse videntur. Ut enim sieamus de
 his, quæ in iudicijs interveniunt, vel à iudicibus &
 iudicum ministris committuntur, cuius generis
 querelis passim & ubi vis omnes viæ, ac semitæ re-
 plentur. Antequam ad iudicium, persuadentur
 miseri rudes & imperiti, à sui similibus, aut non
 multum interduum dissimilibus, ad litigandum:
 vel recti ignoratione utriusque labuntur, vel potius
 pravo & illaudabili affectu eorrahuntur, cau-

judiciorum breuitas rectior, & aliquo respectu
melior videtur, quam omnis ad defatigandos &
exhauriendos miseros inventa mora. Vt enim
imputata vitis late se spargit, & infructuosa est;
sic jus profecto nostrum, labruscas jam pro uvis
gerit. Quoniam effecta respondent causis, eaq;
inter se referuntur, adæquantur, & parem ratio-
nem habent. Itaq; acrioribus saluti nostræ reme-
dijs subueniendum, imminetia submovenda
sunt, ne ad gygantum redeamus sæculū. Quod
enim viderunt vates sacri, & in ultimo fine mū-
di futurum prædixerunt, id sine dubio eventu-
rum est; Malitia semper magis invalescet, justi-
cia plane interibit, fides, pax, misericordia, pu-
dor, veritas non erit; jus & audacia præualebit,
nemo quicquā habebit nisi malè partū, manuq;
defensū; si qui erunt boni prædæ, ac ludibrio ha-
bebuntur, avaritia universa corrumpet & libido:
erunt porro cædes, & sanguinis effusiones, mox
bella non modo externa & finitima, verum etiā
intestina deniq; ut paucis nos expediamus, erit
tempus infandum & execrabile, quo nemini
libeat vivere. Nam ab altera parte, ægritudi-
nem & casum nostræ reipub. prælagire vi-
dentur, publicæ, quæ nunc in valuerunt,
in ve-

in vestimentis & id genus alijs rebus luxuriæ. Fiunt enim reipub. mutationes, inquit sapientiæ Magister Aristoteles lib. 5. Politic. cum homines sua consumunt. Nam crebra hæc novitas, & menstrua vestimentorum mutatio juventurem, ubi familiares opes defecerunt, ad facinora incendunt: civitatis nostræ facies captæ similis efficitur, in quo omisso pudore restiç; respectu vires in consilio sunt, veluti signo ad permiscenda omnia dato. Vidit hæc **SENECA** rerum civilium & morum non inexper- tus, levis, aut iniquus arbiter. Igitur de omniũ rerum voluptate & sui seculi luxuria conquæ- ritur lib. 7. de Benefic. cap. 9. Parum scilicet luxuria magno fuerat, nisi quod vomant capa- cibus gemmis inter se propinarent. Video unio- nes non singulos singulis auribus comparatos: jam n. exercitatæ aures oneri ferēdo sunt: jun- guntur inter se, & in super alijs bini superpo- nuntur. Non satis muliebris insania viros sub- jecerat, nisi bina aut terna patrimonia, auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocadæ sunt, in quibus nihil est, quo de- fendi aut corpus, aut deniç; pudor possit: qui- bus sumptis mulier parum liquido nudam se non

non esse jurabit. Hæc ingenti summa ab igno-
tis etiam ad commercium gentibus accerlun-
tur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem
plus sui in cubiculo, quam in publico ostend-
ant. Conqueritur de eadem re apud LIVIUM
gravissimè magni & gravis animi vir CATO,
quo lectores, ne longiores simus remittimus.
Quia autem nec spes est, à nobis sponte ut RO-
MÆ fiebat, mores nostros in melius mutatum
iri, nec cauta & malefana TIBERII epistola
persuaderi possumus; quum inquit: *Hanc P.C.
curam sustinet Princeps: hæc omisa funditus rem-
pub. trahet. Reliquis intra animum medendum
est, nos, pudor; pauperes, necessitas; divites, satias
in melius mutet. Aut si quis ex magistratibus, tan-
tam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire ob-
viam queat; hunc & laudo, & exonerari laborū
meorum partem fateor. Sin accusare vitia volunt,
dein cum gloriam ejus rei adepti sunt, simulates
faciunt, ac mihi relinquunt: credite P.C. me quoq;
non esse offensionum avidum, quas cum graves, et
plerunq; iniquas pro repub. suscipiam, inanes &
irritas neq; mihi aut vobis usui futuras jure depre-
cor. O vulpes, non nisi vulpibus capienda!
luxus in immensum proruperat: Senatus tam
H effulas*

effusas cupidines coercendas censuerat: tu difficultates in ijs tuiq; respectum. Majus aliquid atq; excelsius à vobis postulatur, Principes; Nobiles, & plebei ad moderatiorē rationem communi consilio revocandi. Quanta enim infamia est? quantum dedecus, nos ROMANOS, qui totius mundi opes ad se transtulerant, in luxu imitari? nec quemq; suo se modulo & pede metiendo, patris patriæ antiqua parsimonia principis nostri exemplum laudabile intueri? Quod si alias nationes imitari velimus, vel etiam ipsos ROMANOS, imitemur in eo, quod à fine ACTIACI belli ad ea arma, quibus S. GALBA rem ROMANAM adeptus est, luxus per annos centum, profusis sumptibus exercitos, moderarunt. OCTAVIO FRONTONE prætura functo, luxus publicus non leviter coercitus, decretumq; ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent; ne vestis serica viros sædaret. Excessit FRONTO, & postulavit modum argento, suppellectili, familiæ: erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid è repub. crederent, loco sententiæ promere. Sed quæ gloria, à necessitate nos cogi, nec persuaderi? Videmus enim indies non solum aurum, & argentum, quo fami-
minæ

minæ antiquitus rempub. adjuverunt, ejusdēq;
principem, ut literarum monumentis proditur,
liberarunt, sibiq; principū gratia insignia privi-
legia acquisiverunt, quisquilijs, inanijs, levibus,
& mox haud profuturis, pace & bello inutilibus
rebus, & ornamentis commutari; verum etjam
nobilissimas familias, quorū majores rem M E-
GAPOLITANAM, virtute & profuso sanguine
stabilierunt, non alijs quàm his, & suprapositis
causis interire, ad inopiam redigi, opes & facul-
tates ad novitios, externos, vel qui equestris or-
dinis non sint, transferri. Audiamus prudenti-
æ & omnis sapientiæ oculum SALOMONEM
Regem: In multitudine populi dignitas regis,
& in paupertate plebis ignominia principis.
Signum evidens quod omnes tyranni nobilita-
tis & procerum odio teneantur. Turci quicquid
nobile ac generosum, extirpatum volunt; boni
principes fovent, tuentur, conservant: inter-
dum etiam non boni. TIBERIUS hac in parte
in quosdam senatores liberalis, HORTENSIO,
cujus domus ad pudendam dilabebatur inopiā,
conjugium suadet, si patribus videretur datu-
rum liberis ejus ducena sestertia singulis, qui se-
xus virilis essent, ne clarissima familia extrin-

H 2

guere.

guereret; alibi nobilitatem pecunia iuvandam
præfatus. NERO omnium, quos Sol vidit ty-
annorum pessimus, in laudabili illo suo quin-
quennio non voluit esse expers hujus laudis.
Cum enim in suo consulatu Valerium Messa-
lam collegam haberet, cujus proavum orato-
rem CORVINUM, Divo AUGUSTO abavo
NERONIS collegam in eo magistratu fuisse,
pauci jam senum meminerant; sed nobili fa-
miliæ honor auctus est, oblati in singulos annis
quingenis sestertijs, quibus MESSALA inno-
xiam paupertatem sustentaret. O quam illu-
stris NERONIS in antiquas familias gratia,
benevolentia, & liberalitas, si incæpisse suffice-
ret, non finijse! Aurelio quoq; COTTÆ, &
HATERIO ANTONINO annuam pecuniam
statuit princeps, quamvis per luxum (heu de-
decus) avitas opes dissipassent. JEREMIAS
in suis lamentationibus deplorat, ob iniquita-
tum crebritudinem, familiarum antiquarum &
nobilium ruinam & interitum: Abstulit in-
quit, omnes magnificos meos Dominus, de me-
dio mei; vocavit adversum me tempus, ut con-
tereret electos meos. Principibus enim pro-
num, divites efficere non antiquos & nobiles.

Hortu

Hortulanos igitur imitentur, qui sūma curā radices fovēt, & scisso trunco radicē fæcundæ arboris inserūt sterili; aut oculus unius arboris alteri adhibetur: quod quidā in oculationem vocāt. Sunt & alia Principes, de quibus ad Patrem patriæ optimum principem antè relatū quam plurima, quæ salutari egere videntur medicinā; in gravaminibus publicis compræhensa: de quibus hic non datur dicendi locus; spe scilicet nobis factā, omnia publico bono in melius mutatum iri; De his enim facilè & ipsimet apud animum statuetis, ac malis impendentibus consilio prævenietis. Vita enim vestra censura est, & speramus vos hac in parte magis VESPASIANUM, & CAROLUM V. imperatores; LUDOVICUM XI. Galliæ regem, JULIUM AGRICOLAM principem cultu modicum, sermone facilem; ANNIBALEM, vestitu nihil inter æquales excellentem, arma & equos solummodo conspicientem, atq; alios præstantes majores vestros, qui leviter & sine cura seipso habuerunt, non ab apparatu, sed ab animo reges, & introrsum à plebe differentes, extrorsum vel gregarijs similes, imitatuos potius quam ineptos GRÆCOS imperatores, & muliebriter cul-

tos. Videmus enim vestras cogitationes non-
dum regentium ad subditorum commodum,
securitatē, salutem dirigi: vos mente animoq;
jam beatitudinem civium & subditorum ve-
strorum complexos esse, ut ea opibus firma, co-
pijs locuples, gloriā ampla, virtute honesta sit;
vosq; nihil magis pavere, quàm illa vota, quæ in
pravos & injustos principes non palam concipi-
untur, ut tanto vos amore subditi optimos,
quanto pessimos odio, prosequantur.

Quod igitur fælix & faustum sit, commen-
damus vobis hanc nostram provinciam, cæte-
ris dignitate & potentia propè parem; ad multa
commoda quod spectat (de quibus vel nova o-
ratio confici posset) inferiorem. Discernenda
itaq; nostra erit ab aliorum conditione condi-
tio, & quod deest, ratione & clementia supplē-
dum. Absumus longius ab aulis, & omnibus
internis & externis commodis, ne à justitia ab-
simus, efficiendum: quod celeriori expeditio-
ne, & ut hæc loca crebrius invisatis facilè obri-
nerimus. Cætera enim bona pro portione
fortunæ quisq; sentit aut expectat, majora mi-
noraq; ex clementia vestra omnes idem spera-
mus, Deniq; nos ipsos omnes & singulos hu-
jus pro-

ius provinciarum cives, ut per MARSCALLUM
nostrum IOHANNEM HANEN notæ integri-
tatis, & virtutis virum, jam antea factum, vo-
bis commendamus: opes nostras, sanguinem
atq; vires ad ornamentum & incrementum gu-
bernationis, dignitatem & amplitudinem cel-
sissimi vestri nominis, promptas, expositas, &
dicatas esse volumus. Ac proindè rogamus
Deum omnipotentem, antea constitutorem,
nunc hujus principatus ejusq; dignitatis & fir-
mitatis per CAROLUM Principem nostrum
senem, & vos conservatorem, ut vos gubernet;
Spiritu suo in hoc ætatis flore, ne licentia re-
gni abducamini ducat; juventam vestram, ne
labalcat, per legem suam servet; æquitatis suæ
regulam vos doceat, salubria consilia sugge-
rat; ab impia malorum & depravantium con-
tagione avertat; ut justa, vera, recta & hone-
sta, Majestateq; majorum vestrorum digna, di-
catis, sentiatis, & faciatis; hostes vestros virtute
& gloriâ superetis; largitoris Dei in V.C. col-
locata beneficia, vestris operibus ac meritis,
quantum humanitus licet, æquaturi: & avum
D. IOHANNEM ALBERTUM sapientia, pro-
patrum ULRICUM justitia, GEORGIUM
animo.

animositate, & magnitudine animi, CHRISTOPHORUM constantia, patrem IOHANNEM bonitate & clementia, D. CAROLUM nostrum frugalitate & reipub. amore, omnes religione ac pietate superaturi. Hoc de vobis Principes eminentissimi, cæteri autumant sperantq; , nos ut rem certissimè futuram expectamus, & gratulaturi vobiscum in ea re consumatissimam atq; omnibus numeris absolutam gloriam optamus.

F I N I S.



VOTUM.



VOTUM.

NE qua in parte nostris Principibus desimus, im-
piorum Indorum morem non sequamur, bona
externa à suis principibus postulantium, quorum
tamen in manu non sunt posita; sed nos & principes
bonos, & ipsis principibus, ut omnes salui & felices
esse possimus, & publica & privata florere, omni-
um cum internorum, tum externorum bonorum u-
bertatem à Deo precemur: quemadmodum Davi-
des pater moriturus Salomoni filio fecit, Psal. 72.,
quem propter paraphrasticam verborum eleganti-
am, & rerum seriem hic exscribendum curavimus,
oramusq; Deum omnipotentem, ut his nostris prin-
cipibus Spiritum roboris & justiciæ, legitimam
administrationem, regni firmitatem & corporis
longam sanitatem, clementissimè ac cu-
mulatissimè largia-
tur.

I

Da tu-

DA tua regi, Deus, æquitatis
Ius ad exemplum dare, filioq;
Regis, ut legum patriæ ad salutem
Flêctat habenas;
Ut regat justis populum institutis,
Pauperum quæstus facili tuorum
Aure cognoscat, dirimatq; lites
Legibus æquâ.
Pace latentur juga montiumq;
Horridi saltus: genetrix quietis
Æquitas colles amet asperosq;
Ruris alumnos.
Ius suum det pauperibus, potentum
Curet ut ne vi tenues premantur,
Destruat quisquis miseros dolosis
Limbis urget.
Ut reformidet venientiæ avi
Gens tuum nomen, sua sol dieti
Donec effundet, sua luna donec
Lumina nocti.
Æquitas & jus veniens olympo
Recreet terras, veluti sub astu
Imber, & rores, pluvij beatos
Raris honores.
Floreat, rerû hoc moderante habenas,
Ius, bona paces vigeant, perenni
Luna dum cursu rediens norabit
Mensura vultus.
Imperij fines maris unda fluat
Hinc & hinc claudat: spatiumque latâ
Quod modum regni faciat, sit idem
Terminus orbis,

At pedes illi cadat ad volutus.
Æthiops: hostes veniam precati
Supplices vultus humiles comarq; in
Pulvere verrant.
Qui tenent pontum resuique ponti
Insulas, regesque Arabum beati,
Thuris & dices venient Sabæi
Dona ferentes.
Illum adorabunt, mare quâ remotis
Obstrepit terris, metuentque reges;
Servient gentes sub utroque mundi
Axe jacentes.
Ille desertos ope sublevarit:
Eximet curis querulos: egeno &
Pauperi dextram dabit: obrutosq;
Fœnore solvet.
Nec velut vilem tenuis cruorem
Plebâ effundi sinet. ergo vivat,
Dèque ihesauris Arabum beatis
Munera sumat.
Ac suo regi bene comprecatus.
Illius laudes canat, illum honoret:
Largâ opû dextrâ celebret, patremq;
Vulgus adoret.
Per feros montes segetem refundat
Terra, tam densis crepitans aristis
Quâm gravi cedros Libani flagellanti
Murmure venti.
Augeat prolem numero carentem
Per vias urbû bona pax beate:
Lata cœu campis riguis per imbrem
Gramina surgunt.

Nomen

Nomen aeterno juvenescat avo,
Filij nomen, jubar usque solis
Dum vage fundet radiata terris
Lumina flammæ.

Ille rex gentes faciet beatas
Quas sinu claudit refugio Amphitrite,
Omnis hunc tellus canet Amphurise
Cincta beatum.


Isaci gentis Domino Deoque
Lam, honor, virius: opis haud egenus,
Illa que cuncti attoniti intueniur,
Perficit unus.

Nomen augustum canat omnis ætas,
Vlla quod nunquam taceat vetustas:
Nominis sancti penetret per omnes
Gloria terras.

Errata ex festinatione nata.

A 6. v. 16. l. omnium. B. 1. v. 14. adver. B. 2.
v. 17. cupidissimè. B. 3. v. 25. vestrum. B. 5. v. 13.
vos. B. 7. v. 15. alienum, fidum. C. 1. v. 7. nos, v.
10. notamus. C. 2. v. 4. vento. C. 6. v. 13. nostrum.
D. 2. v. 15. inopinato, v. 23. LUHIO. D. 4. v. 23.
S. PQ. R. D. 7. v. 25. pum. H. 5. vr 12. animum.






*Nomen aeterno juvenescat avo,
Filiij nomen, jubar inque solis
Dum vage fundet radiata terris
Lumina flammæ.
Ille rex gentes faciet beatas
Quas sinu claudit refugio Amphitrite,
Omnis hunc tellus canet Amphurise
Cincta beatum.*

*Isaci gentis Domino De
Laud, honor, virtus: opis
Illa qua cuncti attoniti i
Perficit unus
Nomen augustum cana
Vlla quod nunquam tace
Nominis sancti penetret
Gloria terra*

Errata ex festinatione nata.

A 6. v. 16. l. omnium. B. 1. v. 14. adver. B.
v. 17. cupidissimè. B. 3. v. 25. vestrum. B. 5. v. 1
vos. B. 7. v. 15. alienum, fidum. C. 1. v. 7. nos,
10. notamus. C. 2. v. 4. vento. C. 6. v. 13. nostru
D. 2. v. 15. inopinato, v. 25. LUHIO. D. 4. v. :
S. PQ. R. D. 7. v. 25. pum. H. 5. vr 12. animu



the scale towards document